

cere angustia chartæ prohibet, si opus erit, in conflictu
fortean recensebuntur. Vid. interea Ioh. Bodin. l. 2. Dæ-
mon. c. 4. Gvilhelmum Neubrigensem lib. 1. rerum Angl.
c. 38. Delr. lib. 2. d. sq. Mag. qu. 16. aliosque Autores quàm
plurimos.

§. 19. Hâc absoluta controversiâ obvia venit alia
difficultas.

Quæ. enim IV.

**QVOMODO FIAT, QVOD MI-
LITIBUS, ALIISQVE HOMINIBUS, QVI A
PARTE DÆMONUM STANT, NULLA
SÆPE NOCEAT ET GLOBULORUM
ET GLADIORUM VIS?**

Notum est, Duces multos, aliosque castra sequen-
tes quam plurimos, non solum cum Dæmone pactum in-
ire, ut certo periculi tempore magnum virorum nume-
rum ipsis admittant, qui tamen ex aere formati vel aliun-
de adducti nihil aut parum saltem agere valent; sed & suæ
cuti providere, ita ut globulis, gladiisque resistere, ictus
eorum sine ullo nocumento excipere, aliaque vires hu-
manas excedentia perpetrare possint. Exempla addi
possent hâc de re quam plurima, ni & plebi & pueris per
vias vagantibus essent copiosè in promptu, indiesque tot
venirent obvia, ut experientia pro dolor! eorum nume-
rum quotidie augeat: Vid. qui velit, Delr. l. 2. Disq. Mag.
Qv. 41. Ego recto tramite ad responsionem propero.

§. 20. Dicunt autem nonnulli, id naturalibus &
propriis assequi viribus milites: Verum cum hæc senten-
tia à subtilitatum Magistro Scaligero jam suo satis destru-
cta sit tempore, & adhuc hodiè ab omnibus Physicis in-
pta